Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput IV. Vtrum Sacerdos intra annum aliquoties teneatur sacrificare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

momento cum Pontifice pronuncientur, ex probabili non videtur mens Ecclesiæ esse alia, quam ut Neo-Sacerdotes, formam solum materialiter pronuncient in signum potestatis acceptæ. Ita non improbabiliter diversi Authores. Vid. *Laym. l. 5. tr. 3. cap. 7.* &c.

---

# CAPUT IV.

*Utrum Sacerdos intra annum aliquoties teneatur sacrificare.*

TEnetur quivis Sacerdos sub gravi obligatione aliquoties intra annum celebrare, nimirùm quater aut quinquies; Idque in præcipuis festivitatibus, quia per sacros Ordines non solùm confertur dignitas & potestas, sed imponitur etiam officium celebrandi, ut patet ex illis verbis ad *Hebræos 5. Omnis Pontifex*, &c. *pro hominibus constituitur, ut offerat Sacrificia pro peccatis.* Item ex verbis Christi *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Alii tamen putant probabiliter non obligari graviter, sed solùm peccari venialiter, si toto anno nun-

quam

quam celebrent, tametsi non sint impediti, modò semel in anno communicent, & festis ac dominicis Sacrum audiant. Quia non constat de præcepto Divino aut Ecclesiastico graviter Sacerdotes ad hoc obligante. Vid. *Laym. l. 5. tr. 5. cap 3.* &c. Peccabunt tamen venialiter, quia accipiunt potestatem consecrandi, in vacuum monente & hortante *Apostolo 2. cor. 6.* ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Et licet eodem die simpliciter ac absolutè non sit permissum sæpiùs celebrare, adeóque hoc facientes peccent graviter, *Cap. Sufficit de consecr. dist. 1.* Vid. *Suar. Iordan elucubr to. 1. l. 4. titulo 1. cap. Consuluisti.* Licitum tamen est id facere in casu gravis necessitatis; Item in die Nativitatis, *cit. cap. Sufficit.* ob significandam, ut rectè docet *D. Thomas* triplicem Christi Nativitatem, æternam ex Patre cælesti, temporalem ex Maria Virgine, spiritualem in cordibus fidelium; Quo die licebit tria dicere Sacra, etiam statim post mediam noctem. Siquidem hæc nox ex sententia probabili *Suar. Kon. Laym.* &c. privilegiata est, ita ut omnes tres

Erítne licitum sæpiùs eodem die celebrare.

Cur die Nativitatis dominicæ tria Sacra permittantur:

Missæ

Missæ ante auroram dici possint. Vid. *Dicast.* & alios. Nemo tamen tenetur eo die tertiò celebrare, quia est gratia & privilegium, quo nullus uti tenetur. *Iordan. l. c.* Sicut & nemo obligatur tria Sacra audire, cùm de hoc non exstet præceptum.

Et an quivis teneatur illa legere.

# CAPUT V.

## *De fructu Sacrificij.*

FRuctum Sacrificii Authores communiter nominant portionem: Est autem quodruplex portio, generalissima, specialis, ministerialis, & specialissima. Prima est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert nomine Ecclesiæ; Et hæc portio cedit omnibus fidelibus non excommunicatis. Secunda est fructus competens concurrentibus speciali modo ad Sacrificium; Tales sunt v. g. qui fundant Sacrum, suppeditant necessariò ad Sacrum, qui ministrant, aut Sacro devotè intersunt. Tertia est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert

Ostenditur, hunc fructū esse quadruplicem.

Explicatur, quis sit fructus generalissimus.

Quis specialis.

Quis ministerialis.

fert